



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

**Parisiis, 1644**

Concilivm Valentinvm, In Qvo Regis Nomen Lvdo vico Bosonis regis filio ab Arelatensis regni episcopis, proceribusque delatum est, anno Christi DCCCXC. Stephani papae V. anno V. Odonis regis anno III.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15967**

ANNO CHRISTI 890.  
 nistris nostris, ieiunium faciendum iniungitur, plebes ad ecclesiam venire rogare, & facta litania, & Missis celebratis . . . *Cetera desiderantur.*

CONCILIVM VALENTINVM,  
 IN QVO REGIS NOMEN LVDOVICO BOSONIS  
 regis filio ab Arelatensis regni episcopis, proceribusque delatum est, anno Christi DCCCXC. Stephani papæ V. anno v. Odonis regis anno III.

ANNO incarnationis dominicæ DCCCXC. indictione VIII. religiosus atque satis venerabilis Bernoinus, sacrae sedis Viennensis archiepiscopus, pro quibusdam ecclesiae suae, siue generalibus totius regni necessitatibus, sedem adiens apostolicam, consultu ipsius domni apostolici, cui cura & sollicitudo instat omnium ecclesiarum, digno quoque suo relatu de perturbatione huius regni retulit, quomodo post gloriosissimi Caroli imperatoris obitum, aliquamdiu sine rege & principe existens, valde vndique afflicteretur, non modo a propriis incolis, quos nulla dominationis virga coercebat, sed etiam a Paganis: quoniam ex vna parte Northmanni cuncta penitus deuastantes insistebant, ex alia vero Saraceni prouinciam depopulantes terram in solitudinem redigebant. His & aliis huiusmodi causis ab eo auditis reuerendus dominus Stephanus apostolicus, ad lacrymas vsque compunctus, tam verbis, quam scriptis generaliter ad omnes Galliarum cisalpinarum tam archiepiscopos, quam & reliquos venerabiles antistites directis, suo sanctissimo commonuit hortatu, vt vnanimes atque concordēs omnes in Ludouico, nepote quondam Ludouici gloriosissimi imperatoris, consentientes, hunc super populum Dei regem constituerent. Cum igitur diligenter comperissemus, quod assensus sanctae catholicae & apostolicae matris nostrae huic faueret electioni, simul conuenimus in ciuitatem Valentiam, domnus scilicet Aurelianus Lugdunensis sedis archiepiscopus, nec non & domnus Rostagnus vrbis Arelatensis archiepiscopus, venerabilis quoque Arnaldus Ebrodunensis archiepiscopus, ipse quoque domnus Bernoinus



Viennensis archiepiscopus, cuius relatu voluntatem domini apostolici venerabiliter accepimus, cum aliis compluribus coepiscopis tractaturi, atque secundum Dei voluntatem quaesituri explorauimus, si hunc digne & rationaliter secundum monita domini apostolici, cuius scripta praemanibus habebantur, super nos regem constituere deberemus. Assensus itaque in eo omnium fuit, ut nullus melius rex fieri debuisset quam ille, qui ex profapia imperiali prodiens, bonae puer indolis iam coadulescebat. Cuius etsi aetas idonea ad reprimendam barbarorum saeuitiam minus sufficere videretur, tamen nobilium principum istius regni, quorum non paruus est numerus, consilio & fortitudine, Deo iuuante, comprimerentur; maxime inclyti Richardi ducis, eximique principis fulta iuuamine, quinetiam dominae Hirmengardis gloriosissimae reginae. Vtilitas regni, insita sibi acutissima atque profundissima a Deo prudentia, adiuncto sibi supradictorum episcoporum digno hortatu, procerumque totius regni consilio, secundum Dei timorem decentissime administrabitur. Denique freti & tanta subleuati fiducia, per Dei, ut credimus, voluntatem, supradictum Ludouicum excellentissimi Bosonis regis filium elegimus, atque in regem vngendum decreuimus, iudicantes illum ad hoc dignum, cui praestantissimus Carolus imperator iam regiam concesserat dignitatem, & Arnulphus, qui successor eius existit, per suum sceptrum, perque suos sagacissimos legatos, Reoculfum videlicet episcopum, & Bertaldum comitem, fautor regni, auctorque in omnibus esse comprobatur. Hac tanta talique fulti auctoritatis licentia, communi omnes in iam dictam ciuitatem aduenientes consensu hanc regiam fieri decreuimus conscriptionem, manibusque insuper propriis ratam, perennibusque eam temporibus felicem vigere praoptantes, roborauimus, singulique subscripsimus.

NOTA IACOBI SIRMONDI  
SOCIETATIS IESV.

\* *Concilium Valentinum.* ] Ludouici, Bosonis filii, qui postea etiam Romae imperium est adeptus, varia extant diplomata, Viennae ut plurimum exarata, & Alexandri archicancellarii, qui archiepisco-



STEPHANVS C. VVORMATIENSE. ARNVLPHVS 611  
P. V. R. GERMANIÆ.

ANNO  
CHRISTI  
890.

pus fuit Viennensis, nomine subnotata. Cuiusmodi est illud Arelati  
Kalendis Februariis anno XX. editum, quo Manassii archiepiscopo  
propinquo suo confirmat res omnes ecclesiæ Arelatensis, quas Bo-  
fo ipse pater Rostagno Manassis decessori concesserat.

CONCILIVM VVORMATIENSE

IN CAUSA HERMANNI COLONIENSIS,  
& Adalgarii Hamburgensis episcoporum de Bremensi  
ecclesia contententium celebratum, circa annum Do-  
mini DCCCXC. tempore Stephani papæ V.

NOTA.

<sup>2</sup> Concilium VVormatiense. ] De hac Synodo in libello de vitis Acta Con-  
pontificum, quem sub titulo Luitprandi iam recens in lucem emisit cilii que?  
Nicolaus Serarius, in vita Stephani V. ista scribuntur: *Hic Her-*  
*mannum Coloniensem archiepiscopum, & Adalgarium Hamburgem-*  
*sem archiepiscopum de Bremensi ecclesia contententes VVormatiam ad*  
*Synodum venire iussit, ubi Fulconi Rhemensi episcopo vice sua commissa*  
*causam eorum examinari mandavit.* Hermannus Colonienfis archie-  
piscopus interfuit & subscripsit Triburiensi Concilio, quinto anno  
post hæc tempora celebrato; Adalgarius nominatur Bremensis ar-  
chiepiscopus in Concilio Triburiensi, quo eadem hæc controuer-  
sia agitata, Coloniensi archiepiscopo consensu Formosi pontificis  
adiudicata fuit. Adamus Bremensis in sua historia ecclesiastica libro  
1. capite 41. Albertus Stadenfis anno 896.

De hac eadem Synodo Flodoardus libro quarto capite 1. ista: *Pa-*  
*pa scribit Fulconi Rhemensi pro altercatione qua versabatur inter Her-*  
*mannum Coloniensem archiepiscopum, & Adalgarium Hamburgem-*  
*sem & Bremensem episcopum, pro qua Hermannus eidem papa suam di-*  
*rexerat querimoniam. Adalgarius autem & suam direxerat, & postmo-*  
*dum per semetipsum accefferat, proclamans ab Hermanno ecclesia sua pri-*  
*uilegia violari. Ideoque in suam presentiam commonuerat utrumque ve-*  
*nire. Sed quoniam Adalgario veniente Hermannus defuit, tanta liti finem*  
*imponere papa distulit, ne quidpiam prepropere iudicare videretur, unde*  
*ædiuina contentio futuris temporibus oriretur. Quocirca iniungit hanc*  
*presuli nostro sua ipsius papæ vice Synodum conuocare apud Vangionum*  
*ciuitatem cum vicinis suffraganeis limitaneisque episcopis, ad quam Her-*  
*mannum Agrippina Colonia, & Sanderoldum Moguntinum cum suis*  
*suffraganeis, nec non & eundem Adalgarium occurrere iusserat, qua-*  
*tenus quid cuique debeat diligens examinatio declararet. Hæc Flo-*  
*doardus.*